AD INUICTISSIMUM IMPERATOREM ROM. RUDOLPHUM 2. EXPLICATIO PIA ET HISTORICA DICTI, SEU...

Matthaus Dresser

AD INVICTISSIMVM IMPERATOREM ROM. Rudolphum II.

CVM MAXIMILIAnus I, anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Romanorum imperator cunctis Septemuirûm suffragijs, Francofurti ad Mœnum designaretur: tota vrbe sermo dißipatus est, vltimum illum Germanorum imperatorem fore. Hoc sermone permoti principes Electores, inquiri in authorem vaticinij iusserunt: nec multo pòst inuentus est Iudæus, qui ob eam rem accersitus, coram principibus se authorem istius rumoris professus est. Sed cum vrgeretur, vt rationem suæ augurationis ostenderet, hæsitans titubansq́ʒ huc euasit, Maximilianum

A 2 quidem

quidem vltimum fore Germanorum imperatorem, sed successorem ex progenie ipsius late in Europa dominaturum esse. Quod perinde est, ac si dixisset, fictam & commenticiam esse fabulam, quam diuulgârat; cui nec authoritas, nec fides vlla adiungenda sit. Ita res tota refrixit, & quod ex fraude mendacioq́; compositum erat, celeriter tanquam flosculus decidit. Non enim cohærent inter se, sed maximè pugnant & contraria sunt, Maximilianum vltimum fore imperatorem, & successorem habiturum late dominantem. Quod si successorem in imperio habiturus erat Maximilianus: etiam imperium ipsum manere oportuit. Quanquam nunc quidem, postquam euentus vanitatem prædictionis declarauit, refutatione sermonis friuoli nihil opus est. Constat, qua fide, quaúe religione Iudæi vaticinia prophetarum amplectantur. Tum quo animo etiam imperium hoc vltimum Germanorum colant, apertum est. Itaque à re veritateq́; omni remoti ad somnia perfugiunt, & imperium, quod oderunt, periisse ex-

se ex-

se expetunt. Hos ergo cæcos amentesq́; furore missos iure omni facimus, vtpote quos scimus iam olim etiam ingenti errore animi dominatum atq; principatum sibi finxisse, deleto Romanorum imperio. Ante excidium Hierosolymitanum toto Oriente constans percrebuerat opinio, esse in fatis, vt eo tempore rerum potirentur ij, qui ex Iudæa profecti essent. Id ad se accommodantes Iudæi rebellionem fecerunt, præsidem Romanum occiderunt, legatumq́; Syriæ suppetias præsidi ferentem, rapta aquila, fugarunt. Sed paulò post, conuersa fortuna, horribilis audaciæ pœnas iustas grauesq́; persoluerunt, & attractis Romanis, exitio suo didicerunt, non de Iudæis, sed de Romanis in Oriente dominaturis vaticinium illud locutum esse, vt scribit in Vespasiano Suetonius.

Plus apud me valet Lactantij Firmiani vaticinium, quod in libro 7. de diuino præmio posuit: Romanum nomen; *inquit,* quo nunc regitur orbis *(quanquam horret animus dicere, dicendum tamen est, quia futurum est)*

est) tolletur de terra, & in Asiam imperium reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens seruiet. *Perspicua hæc est prædictio de deletione nominis Romani, ac imperij ex Occidente in Orientem reuersione, tum de libertatis illius in iugum seruitutis conuersione. Cui quidem prædictioni quid quantumq́; tribuendum sit, ratione & via ad veritatem maximè directa enodare conabimur. Nam si ita, vt sonat, euenit: imperium iam occidens plane nullum habeat necesse est. Sin nondum euenit, euenturum tamen est: quid nobis aut posteris nostris miserius esse potest, qui spoliati omni decore imperij, priuatiq́; libertate seruitutem tristißimam vel perpetimur, vel perpessuri sumus? Ac si quidem in seruitutem tradetur Occidens, cui seruiet in Asia & Oriente, nisi crudeli Turco? Hic enim Asiæ dominatum sibi vendicat, & redigere in ditionem atq; potestatem suam omnia conatur. Deus bone, quam acerbum & horrendum est hoc seruile iugum; quod dictum Lactantij denunciat*

aut

aut prædicit Occidenti! Quis non mortem potius appetat, quam tantæ seruitutis ærumnas atq; miserias subeat? Tyrannus enim est Turca, qui religioni, literis, & libertati Christianorum bellum horrificum & nefarium minatur. Etsi enim Christianos imperio suo subiectos, si quidem tributum imperatum pendant, tolerat: tamen durissima penè sunt in hac seruitute omnia. Religio equidem penè tota euanescit, vel certè languescit, pietatis, literarumq; doctrina in barbariem fœdam conuertitur, scholis locus nullus relinquitur, disciplinæ cultus negligitur. Scitum enim est, quod in tragœdia dicitur: Barbarus sum factus, diu inter barbaros versatus.

Dicitur quidem Turca non penitus odisse Christum & eius Ecclesiam, sed prophetæ diuini & admirabilis ritu eum colere: veruntamen impium suum Mahometum longè antefert filio Dei, & Alcoranum execrandum detestabilemq; pluris facit, quàm omnium Prophetarum & Apostolorum conciones. Iccirco

templa

templa Christianorum pleraq; diruit, vel certè sacerdotibus eorum onera tanta imponit, vt non doctrinæ studijs, & ministerio ecclesiastico vacare poßint, sed opere faciundo tributum conficere cogantur. Anno 1566. Chio Ægei maris insula sub iugum missa, mox magistratum Christianum in varias regiones deportauit, Turcicum per vim imposuit, leges veteres abrogauit, templa solo æquauit, vix vnico S. Dominici relicto, quod ritibus Turcicis initiatum est, & Mahometano cultui consecratum. Vix reperies in toto regno Turcico vnum oppidum, quod Christianis Magistratibus aut legibus viuat, nedum libertate aliqua gaudeat. Summißè & abiectè absq; vlla dignitate ætatem degunt in turcico regno, quotquot Christi nomen profitentur. Nemo eorum ad militiæ disciplinam facilè admittitur, nemo ad honoris aut muneris publici administrationem adhibetur: sed metus periculorum, insidiarum ac iniuriarum dies noctesq; vnicuiq; Christianorum sub tam immani magistratu impendet. Nulli

id ipſum, quod habet, ſatis tutum eſt, ſed ne per vim aut fraudem eripiatur, aut interuertatur, timet. Quocunq; deniq; aſpicit Chriſtianus, furor Turcicus occurrit, qui vix reſpirare eum ſinit. Talem ſtatum ſeruitutis, tam calamitoſum, acerbum, & lamentabilem, cum nobis Lactantij dictum denunciet: non poſſumus non de veritate aut euentu illius angi atq; ſoliciti eſſe.

Et authoritatem quidem ſi ſpectare volumus, author certè prædictionis huius luculentus & locuples eſt Lactantius: ſcriptor diſertus, pius, & valde bonus, qui vixit circa annum Chriſti 314. eo ſcilicet ſeculo, quo Eccleſia Romana liberaliſsimis ſtudijs, & literatiſsimis hominibus affluebat. Ex quo coniecturam capere poſſumus, eum & ſcripturæ cœleſtis oracula cognita habuiſſe, & rerum veterum monumenta ſcrutatum eſſe. Quod authoritatem quidem vaticinio afferre videtur, & fidem: ſed in veritatis tamen inueſtigatione, magis decet rationis momenta & pondera, quam au-

thoritatem attendere. Veritatis autem inquisitio omnis partim ex verbo DEI sancto; partim ex rerum gestarum memoria in hoc genere petenda est. Et in primis quidem quærendum de tempore, quo vel completa sit prædictio, vel adhuc complenda esse videatur.

Quid ergo? sublatum de terra nomen Romanum, quo regitur orbis, superioribus seculis fuit? vel sublatum est hodie? Negat vtrumq; Propheta Daniel, quo vno teste fidendum atq; nitendum magis, quàm sexcentis aliorum coniecturis aut opinionibus. Per nomen autem Rom. absque dubio imperium Rom. intelligit. Lactantius, quod monarchiam quartam, per bestiam scilicet quartam à Daniele expressam appellamus: vt idem sit Rom. nomen, & imperium, siue monarchia Rom. quarta. Hæc enim est, quæ decem cornua, hoc est, potentiam maximam in orbe terræ complexa est. De medio autem horum cornuum natum est cornu paruulum, quod tria cornua de cornibus primis euulsit, hoc est, opes dignitatemq; imperij Rom.

vehe-

vehementer imminuit, labefactauit, & afflixit. Habet præterea ipsum cornu os grandia loquens, hoc est, blasphemias aduersus excelsum Dei Filium effundit, & sanctos siue Christianos eius conterit & vincit, putatq́; adeo posse se mutare tempora & leges. His enim notis depingit Daniel regnum Mahometicum, quod ortum est initio è tribus cornibus à monarchia Rom. auulsis, Syria, Ægypto, & Africa, imperiumq́; Rom. mirificè attenuauit, atq; imminuit. Secundo voces contumeliosas in Christum emittit. Tum in Ecclesiam eius supra modum sæuit, omnemq́; regni sui conatum in perniciem illius conuertit. Atq; hoc Deum permissurum atq; concessurum esse Mahometo, disertè prædicit Daniel: sed deleturum tamen illum aut sublaturum esse de terra Rom. nomen negat. Vult enim Deus hæc quatuor summa regna esse firmamenta politiæ in mundo. Postremum verò hoc Rom. vult etiam domicilium esse suæ Ecclesiæ vsq; ad gloriosum Filij sui ad iudicandum orbem terræ aduentum.

Bellum quidem inferet Turca sanctis, & vincet eos: quemadmodum vicit, & sub imperium suum bonam magnamq; partem orbis Christiani subiunxit: sed id tamen, quod conatur, non perficiet: quod ad summam rei attinet. Nam & anteuertet illum aduentus Filij Dei ad iudicium, qui in hanc ipsam monarchiam quartam incidet: & putabit Turca quidem, se deleturum esse imperium hoc vltimum Christianorum, sed de spe conatuq; suo depelletur. Nec Turci est, sed DEI *solius hoc regnum postremum in mundo, cuius reliquias miseras persequimur, tollere & abolere per aduentum Antiqui dierum, hoc est, per vniuersale iudicium, quo ablaturus est, & contriturus potentiam turcicam: vt funditus pereat vsque in finem, quemadmodum Danielis vaticinium habet. Quod cum apertum manifestumq; sit, fieri sanè non potest, vt deleatur in terris nomen Rom., aut imperium hoc supremum, quod monarchiam appellamus, in Asiam transferatur. Sæuiat sanè Turca, grassetur, rapiat, & in*

cæde

cæde sanguineq́; Christianorũ furor eius, quantum potest, & volet, bacchetur: id certè nunquam efficiet, aut obtinebit, vt quintam monarchiam constituat, vel imperium Occidentis in Orientem reducat. Quanquam enim regna maxima tenet: Rom. tamen nomen nunquam auferet, sed supererunt reliquiæ imperij Rom. vsque ad illud momentum, quo iustus iudex venturus est, qui monarchiam hanc postremam consilio suo admirabili eò destinauit, vt venientem ipsum ad iudicium excipiat. Stabit igitur imperium Rom., nec extingui de terra nomen eius penitus poterit: sed vt initium huic imperio lætus Filij Dei aduentus in carnem dedit, sic finem reditus eiusdem ad iudicium afferet. Hoc testimonio Prophetico, quod omni exceptione maius est, confirmati, certo statuamus, mansurum esse nomen Rom. vsque ad finem mundi, nec vlla vi, aut tyrannide Turcica euerti illud, ac tolli de terra posse.

In promtu est etiam hæc non exigui momenti ratio, quam Ecclesiæ & politiæ sors atque

conditio in hoc mundo suggerit. Non enim solitus est Deus vllo tempore ex Occidente in Orientem transferre Ecclesiam aut politiam suam, sed contra ex Oriente in Occidentem. Ubi prima sedes fuit Ecclesiæ et Reipub. summæ in mundo? An non in Oriente? Inde enim sensim & paulatim in Occidentem & Septentrionem progressa est: vt obscurum minimè esse posit Dei consilium de peragratione Ecclesiæ, & summi in terris imperij ex Oriente in Occidentem. Et vt neque Persarum monarchia in Chaldaicam, neque Græca in Persicam redijt: Sic nec Rom. in Græciam aut Asiam reuertetur, sed peragratis omnibus mundi partibus in Occidente finem peregrinationis faciet, & cælesti hospitio à Christo domino suo accipietur. Ergo nec reuersus est hactenus in Orientem Occidens, nec reuerti deinceps poterit, quoad gens humana in terris erit reliqua. Quid ergo? Vanúmne est prorsus Lactantij vaticinium? durum id quidem fuerit affirmare: sed negat tamen propheta Daniel, Rom. imperium in Asiam re-

am reuersurum, nec ex historijs probari potest, id factum esse superioribus ætatibus.

Non necesse est rem à capite arcessere, aut, quæ ante huius authoris vaticinium acciderunt, repetere. Anno Christi 258. Sapores Persarum rex prælio vicit Valerianum imperatorem Rom., captumq; in Parthiam abduxit, & aliquot annos pro scabello vsus est eo, cum equum conscendere voluit. Tandem verò in summa senectute viuo cutem à ceruice ad pedes detraxit. Quod quidem ad detrimentum & ignominiam summam Rom. imperij pertinuit: sed nomen tamen Rom. non sustulit. Ante hunc, imperante Treboniano Gallo, tributarium est factum imperium Rom. non absque macula nominis Rom., suscepto barbaræ seruitutis iugo: & tamen iccirco deletum non est imperium Rom. Anno Christi 331. diuisit imperium Rom. Constantinus Magnus, sede eius vna in Oriente, altera in Occidente collocata: sed non propterea tamen Rom. nomen de terra sublatum est. Mansit enim Occidentis

impe-

imperium, vel certè nomen & umbra eius, etiam cum ab Exarchis Occidens gubernatus est.

Cum capta à Vandalis Roma, omnia imperialia ornamenta in Africam asportata essent, & Franci Galliam, Scoti, Picti, & post eos Saxones Britanniam, Hunni Europam, Vandali Africam, alij alias prouincias occupassent: concidisse quidem videbatur imperij decus, atque euanuisse in Occidente; sed remanebat tamen nomen, vel certè umbra aliqua imperij, nec penitus de terra illud tollebatur. Augustulo purpuram abijciente, minuebatur quidem, obscurabatur, & penè interibat in Occidente imperium: de terra tamen nomen eius non tollebatur, sed ab Exarchis, tanquam à vicarijs imperatoris in Oriente usque ad Carolum Magnum conseruabatur. Quin Carolus ipse imperator Occidentis factus, nominis & imperij Rom. reliquias superesse in Occidente satis declarauit. VVenceslao ad imperium euecto, adeò diminutum fuit imperium Rom., vt cui olim nihil defuerit, nisi

modi-

modicum Orientis, tunc nihil relictum sit, nisi modicum Occidentis, vt Italiæ quidam scriptor ait. Et nihilominus tamen imperium fuit, & manet.

Habet imperium hoc temporum varietates, fortunæq́; vicißitudines non minus quàm aliæ res naturæ legibus subiectæ. Quod discertè expreßit Daniel, cum regnum diuisum vocat, partim ex ferro, partim ex luto conflatum. Habuit suum robur & firmamentum, quando florere illud voluit DEVS. Factum est nunc luteum, fietq́; in reliquum tempus magis, quò propius ad finem suum accedit. Tantumq́; abest, vt infirmitas hæc imperij de terra tollat nomen Rom., vt nihil sit, quod magis illud demonstret atq; confirmet. Nisi enim contritum esset, labefactatum, concussum atq; minutum, haud imperij Rom. nomen sustinere in hac vltima mundi senecta posset. Nota hæc est prophetica imperij Rom., quæ quoad imperio huic impressa est, imperium superesse necesse est. Vnde est igitur ista Lactantij, & aliorum quorun-

dam de abolendo imperio Rom. prædictio? Non enim is solus est, qui imperium hoc tollendum de medio esse opinione auguratus est, sed cum eo alij etiam doctores Ecclesiæ, & interpretes scripturæ sanctæ, nescio qua animi diuinatione permoti, idem coniectarunt. Chrysostomus in explicatione capitis secundi epistolæ Pauli ad Thessalonicenses cap. 2. quando, inquit, è medio sublatum fuerit imperium Rom., tunc veniet Antichristus. Hieronymus ad Algasiam: Nisi fuerit Rom. imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus ad iudicium non veniet. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 19. Non absurde de Rom. imperio creditur dictum illud Pauli Apostoli: tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur. Lactantius verò Sibyllæ etiam ait extitisse vaticinium quoddam de interitu Romæ, propterea quod nomen Dei habuerit inuisum; & inimica iusticiæ fuerit, alumnumq; veritatis populum trucidarit.

At vn-

At vndenam tot consentientia patrum Ecclesiæ testimonia de interitu Rom. imperij manarunt? Ex vno fonte omnia fluxerunt, videlicet ex Pauli verbis, quæ in 2. Thess. 2. de Antichristo leguntur, quod ejus manifestæ violentiæ ac grassationi nihil obstet, nisi quod nondum sit è medio remotus is, qui illam retardat. Qui autem sit remorans siue retardans Antichristi conatus, literis explanare Apostolus noluit. Interpretes verò nonnulli coniectura ducti ad Spiritum sanctum, alij ad Rom. imperium accommodarunt. Augustinum non puduit sic exclamare: ego prorsus, quid dixerit Paulus, me fateor ignorare. Græcorum quidem nonnullorum de Spiritu sancto interpretatio non admodum incommoda est. Congruit enim cum diuino testimonio, quod Moses recitat cap. 6. Gen. Spiritus, inquit, meus non iudicabit in homine perpetuo. Cuius quidē testimonij absq; vlla dubitatione hic sensus est: Homines nolunt amplius admittere spiritus Dei reprehensionem. Quis enim alius esse potest,

qui extremam vastitatem aut grassationem Antichristi in Ecclesia prohibeat aut retardet, quàm sanctus Spiritus? nec sane fas est, talem vim remorandi Antichristum Rom. imperio, quod politicum est, tribuere, cum nullius sit, nisi diuini Numinis. Quocirca de Rom. imperio intelligi minime potest. Ac sunt huius sententiæ rationes complures, planeq́ perspicuæ. Primum enim dubium nullum est, Pauli concionem propheticæ doctrinæ esse consonam. At manifestum est, opinionem de tollendo Rom. imperio ante aduentum Antichristi minimè conuenientem esse vaticinio Danielis de constantia & perpetuitate imperij quarti, usq; ad Christi aduentum in nubibus ad iudicandum viuos & mortuos. Non igitur aboleri nomen Rom., aut extingui imperium ante iudicium extremum poterit, multo minus ante aduentum Antichristi.

Deinde, si tollendum è medio Rom. imperium ante Antichristi aduentum dixerimus: Antichristum hactenus fuisse, aut esse vllum negabimus.

gabimus. Stat enim imperium Romanum, nec nomen aut decus eius omne abolitum est. Iam verò illud quàm incredibile, quàm absurdum, Antichristum neq; extitisse hactenus, neq; extare hodie? Audiatur saltem Ioannes ille præ cæteris carus Domino Christo discipulus, qui in 1. epist. cap. 2. disertè ac sine ambiguitate ait: Pueruli, vltimum tempus est, & sicut audistis, Antichristus venit: & nunc Antichristi multi ceperunt esse, vnde scimus vltimum tempus esse. Quod si igitur venit Antichristus, multiq; adeo Antichristi S. Ioannis ætate extiterunt: quæ peruersitas est, negare Antichristum ante desolationem Rom. imperij esse venturum? Nondum etiam vltimum tempus adest, si Antichristus non venit. Quòd quomodo cum concionibus Christi & Apostolorum consentiat, facilè intelligi potest. Talem vtiq; describit Ioannes Antichristum, qui neget Iesum esse Christum. Qui verò negat, inquit, filium, is ne patrem quidem habet. Quæ verba nisi de hæreticis acceperimus, quorum alij diuinam Christi

naturam negarunt, alij merita extenuarunt, alij alios cultus excogitarunt, cœci amentesq́ sumus. Ita enim & Theophylactus interpretatur: Simon, inquit, & Nicolaus hæresiarchæ, quæ Antichristi erant, operabantur, cæteriq́ hos secuti omnes, Marcion, Montanus, qui seipsum paracletum nominauit, atque alij non pauci. Ad eundem modum Augustinus lib. 20. cap. 19. de ciuitate Dei, antichristos interpretatur hæreticos. Ita enim censet saluberrimus Ecclesiæ doctor, & scriptorum propheticorum apostolicorumq́ interpres optimus, cum antichristi sint aduersarij Christi, minimè dubium esse, quin hæretici pro antichristis sint habendi.

Sed ne tot interpretum explicationi vel coniecturis potius vnus refragari videar: concedo fatalem quandam diminutionem imperij Rom. esse factam, eamq́ non paruam, sed multis lacrymis gemitibusq́ deplorandam. Verumtamen abolitum illud esse plane, nemo sanus dixerit. Nam & olim facta inclinatio eius magna,

gna, & hodie non desinit furor turcicus de corpore eius detrahere, quantum conniti animo, et contendere labore potest. Estq; admirabilis vicissitudo, quæ in cursu huius imperij seruatur: vt cum in Occidente deficeret, imperante Constantino Magno, viguerit in Oriente: & contra, cum in Oriente partim fato, partim intestinis dissensionibus exaresceret, in Occidente reuiruerit. Hæc nimirum vicissitudo illa est, quam Daniel ferreis & luteis pedum digitis in bestia magna adumbrauit. Nec propterea quod Roma metropolis direpta toties & ab imperio auulsa est, Rom. imperium stare, & qui rebus Christianorum praeest, imperator dici & haberi nequit. Ita enim multi iam olim imperatores, Valens, Arcadius, Theodosius iunior, alijq;, qui hos secuti sunt, titulum maiestatemq; imperatoriam falso sibi arrogassent.

Alium ordinem atq; processum ante finem mundi Christus prædicit: Prædicabitur, inquit, Euangelium regni in vniuersa terra, vt sit testimonio omnibus gentibus: et tunc finis veniet.

Daniel

Daniel verò disertè affirmat, stante imperio quarto; venturum esse Antiquum dierum ad iudicium. Coniecturæ igitur sunt, vel commenta potius contra Dei verbum effusa, quæ de processu tali proferuntur, quasi primum oporteat interire Rom. imperium, deinde venire Antichristum, tum sequi vltimum iudicium.

Inconuenientiorem multò processum describit Lactantius in epitome. Primum, ait, fore extremam impietatem, fraudem, malitiam, & iniquitatem, extincta omni honestate, caritate, & iusticia. Deinde decem viros esse occupaturos orbem vniuersum, ac voraturos: exoriturum verò vnum longe potentiorem & nequiorem, qui terram omnem sibi vendicaturus sit. Tertiò secuturum esse interitum ciuitatum, oppidorum, & legum, sterilitatem terræ, aquæ mutationem in cruorem, cœli & elementorum squalorem & obscuritatem, stellarum omnium delapsum, anni, mensium & dierum diminutionem. Hoc rerum tristißimo statu Antichristum esse venturum ait. Post Antichristum de

cœlo

cœlo descensurum esse Christum opinatur in virtute magna ad iudicium magnum de viuis & mortuis, quietemq́; terris redditurum, futurumq́; tunc regnum iustorum, & pacem per mille annos. His peractis renouationem mundi, & resurrectionem secuturam esse fingit.

Quæ per me quidem licet probent atq; amplectantur, quicunque commentis opinionum extra Dei verbum, aut Trismegisti oraculis, nullo tamen diuino instinctu afflatuq́; fusis, delectantur. Nobis à præscripto verbi diuini non fas est recedere. Quod cum iubeat nos in his tumultibus, fragoribus, & confusionibus, tristißimisq́; mundi spectaculis suspicere; & venientem ad iudicium in nubibus Dei filium expectare: impium fuerit, aliud quàm hunc ipsum liberatoris nostri aduentum in dies singulos atq; momenta sperare. Quin ita potius statuamus, perniciosa esse commenta omnia, quæ contra Christi mandatum, vel temporis longi vsuram, vel pacem quietemq́; in hoc mundo nobis pollicentur. Quantum, inquit Augusti-

D nus, ac-

nus, accedunt dies, augentur tribulationes: nemo ſibi promittat, quod Euangelium non promittit. Non nobis promittunt ſcripturæ noſtræ in hoc ſeculo niſi tribulationes, preſſuras, anguſtias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad iſta nos præcipue paremus, ne imparati deficiamus.

Mihi quidem, neſcio quomodo, Epicuream ſecuritatem importare videtur opinio hæc de abolendo imperio Rom. & de aduentu Antichriſti ante vltimum iudicium: Si quidem nondum abolito imperio, nondum venire poteſt Antichriſtus: Si vero nondum venit Antichriſtus, non eſt quod vltimus dies expectetur. Faceſſat igitur fabula omnis de tempore & articulis, quos pater æternus in ſui ipſius poteſtate poſuit.

Quod vero de ſeruitute Occidentis in Orientem prædixit Lactantius, id re euentuq́ iam tum comprobatum eſt. Seruiunt enim nimis multi, dum tyrannus Turcicus bonam magnamq́ partem Occidentis ſub iugum ſuum

miſſam

missam tenet. Quam quidem partem si quis pro Occidente ipso forte voluerit vsurpare, non incommode dicere poterit, Occidentem seruire Orienti. Qui loquendi mos non est adeo ab vsu remotus. Sed quod factum hactenus non est, id ne in posterum fiat, sapientes multi metuunt. Memorabilis enim est Ioannis Hiltenij vox, qui S. Francisci monachus fuit Isenaci in Turingia, de anno millesimo sexcentesimo, quo Europam omnem crudelissimi tyranni direptionibus & incendijs vastatum iri auguratus est. Cuius quidem viri prædictionem de euersione monachorum in Germania, anno Christi 1516. cum euentus comprobarit: minus forte dubitandum videtur, quin illa etiam de Europæ vastatione euentum sit habitura. Fateor autem de futuris iudicium esse admodum difficile, nisi facem præferat sanctum Dei verbum. At nihil certi de eiusmodi vastatione in scriptis diuinis reperitur. Et reuera nescire, quæ futura sunt, melius interdum est, quàm scire.

Est autem vsitatum, nomen Omnis, vsur-

 pare

pare de multis, ab eaq; forma loquendi ne sacri quidem scriptores sibi temperant, quod exempla in Prophetis & Apostolis demonstrant. Multò verò vsitatius est Ciceroni, totam ciuitatem, cunctam Italiam, pro aliquibus de ciuitate, & Italia dicere. Quo sane minus absurdum est, etiam in talibus vaticinijs non temere quidem, sed nullo tamen certo Spiritus diuini testimonio effusis, totum de parte accipere.

Sunt qui vaticinium de Gog & Magog apud Ezechielem, & in apocalypsi Ioannis ad Turcicam gentem accommodent. Hanc enim vastationem ingentem facere in hac vltima mundi senecta experimur, & vehementer affligere Israëlem, hoc est, Ecclesiam Dei non sine gemitu & lacrymis cernimus. Sed propheta in septentrionem collocat Gog & Magog. Unde nonnulli Moscos significari istis nominibus existimabant. Quam difficile est in re non satis cognita iudicium interponere! Ecclesiastici quidem scriptores, Hieronymus et Augustinus, his nominibus tyrannos & hæreticos declarari

arbi-

arbitrantur, qui partim vi & impreßione, partim falsis dogmatibus Christianos oppugnant. Cui interpretationi consentiens est Petri Galatini explicatio, qui putat, Gog & Magog non specialem quandam gentem esse, sed impios homines, quicunque populum Dei persequuntur, & vexant. Lyra Gog Antichristum, Magog verò assectatores eius esse opinatur. Equidem Propheta non aliter describit Gogum, quàm quod flagellum sit, quo Deus ad castigandum Ecclesiam propter peccata vtatur.

Etsi autem Gog vim & terrorem ingentem Ecclesiæ iniecturus est: tamen vincetur tandem in montibus Israëlis, hoc est, in locis, vbi Ecclesia vera rectè Deum agnoscit & inuocat. Quod solatio nobis esse in primis debet in hoc tempore, quo Satanas per Turcam, cæterosq́; Ecclesiæ veræ hostes omnem suam rabiem & furorem extremum totis viribus in nos effundit. Sic ergo statuamus, non pacem, non ocium, non vitæ iucunditatem vllam superesse in hoc mundo, sed totis animis expectandum

 esse

esse Christi aduentum, quo nos ab hisce afflictionibus liberaturus est, & in quietem læticiamq́; sempiternam traducturus. Ad quam quidem expectationem & spem etiam ipse filius Dei, & Apostoli in his postremis motibus, & concussionibus mundi nos erigunt & hortantur. Interim oremus aßiduis votis Filium Dei, vt propugnet pro Ecclesia sua, & ex faucibus truculentißimorum hostium nos eripiat. Quod sane facturum se esse is pollicetur apud Danielem, cum inquit: Stabit Michaël, hoc est, Christus Dux magnus pro populo suo.

Sunt alij etiam viri magni & sancti, qui diuinatione, nescio qua, permoti, impetũ Turci in Germaniam non obscure augurati sunt, eaq́; cogitatione ita se terreri dixerunt, vt sudore perfusi sint ac tremuerint, quoties in eam inciderunt. Profecto flagellum Dei animis & oculis nostris prospicimus. Sed est remedium quod opponere poßimus huic malo, pœnitentia scilicet & oratio. Quibus arcere ac propulsare à ceruicibus nostris hunc immanißimum hostem

stem

ſtem poterimus. Et quamuis peccata noſtra nullam non mereantur pœnam acerbiſsimam: ſpero tamen Turcicam gentem non eſſe inuaſuram Germaniam, nec occupaturam Occidentis imperium. Stat enim inuicta Danielis prophetia, de quarta hac Romanogermana monarchia, quæ tolli ante aduentum Chriſti ad iudicium non poteſt, quæcunq; tandem facies Eccleſiæ & politiæ futura eſt. Interim ſinit Deus nos à Turcis, non minus quàm Iudæos à vicinis gentibus vexari atq; tentari, vt pietas noſtra, fides, inuocatio, patientia atque conſtantia exploretur atq; acuatur.

Non neceſſe eſt authores plures proferre, quorum oratio de Turcorum dominatu in Germania omen fati videtur. Multa certè concurrunt, quæ pias mentes ſolicitas habent: in primis cogitatio de Iudaicæ & Græcæ gentis miſerabili conditione. Nec profectò difficile eſt, ex iiſdem eadem, vel ex ſimilibus cauſis ſimiles euentus aut exitus ratiocinari. Prærogatiuas habebat gens Iudaica tantas, quantas

nulla

nulla natio alia. Præcipuus tamen thesaurus erat sanctum Dei verbum, promißio de Messia ex Iudæis nasciturо, copia Prophetarum, reuelationes multæ atque miracula, politia diuinis legibus munita. Quæ si ad nos accommodauerimus, reperiemus sane, nulla re nos inferiores esse Iudæis. Habitat in nobis sermo Christi copiosè cum omni sapientia, viget doctrina artium & literarum, nec est natio vlla, quæ Rempub. habeat iure & legibus magis firmatam ac decoratam: frugum denique aliarumq́ rerum, ad vsum cultumq́ vitæ necessariarum copia suppetit. Ac fieri quidem potest, vt amœnitate & fructuum quorundam bonitate Palæstina Germaniam olim superarit: copia certè & vbertate vix superauit. Profectò sic se res habet, vt quæ singulatim fere Deus alijs nationibus ac gentibus tribuit, ea vniuersè in hoc imperium effuderit. Hæc ergo cum paria vel certè communia nobis sint cum Iudæis, an possumus dubitare, quin par etiam & communis fortuna sit futura? At miserabilis & afflictißima

fuit

fuit fortuna gentis Iudaicæ, quam refugit animus, reformidatq́ dicere. Præuidit eam & prædixit prophetico spiritu Dauid, annis ferme ducentis quinquaginta ante euentum, in Psalmo 137. Devs bone, quæ mala populus Israëliticus apud Babylonios exulans non sustinuit? Quas acerbitates non sensit? Quas calamitates non pertulit? Non hominem dixeris, sed lapidem, quem non moueant, & ad commiserationem accendant querelæ populi illic ærumnas suas deplorantis. In hoc igitur exemplum intuentes, iure ac merito illius recordatione perhorrescimus, & similem pœnam propter similem cœlestis doctrinæ contemtum, & in atrocibus delictis contumaciam metuimus. Quod enim Deus multo ante per Prophetas minatus erat Iudæis, ac tandem re & facto declarauit, id nobis etiam quotidie per sancti sui verbi vocem ac ministerium minatur, nec de veritate prædictionis dubitare nos religio sinit.

Atq; hæc quidem hactenus mirificè congruunt inter se, nec est vllus, qui neget, simili-

um delictorum similes esse pœnas oportere. Sed si quis ex me quærat, vtrum Turca idem sit effecturus in imperio hoc, quod effecit in populo Israëlitico imperator Babylonicus, nec ne? respondere nihil verebor: paria quidem esse Turco cum Babylonico imperatore multa; sed disparia neque pauca, neque minima. Paria sunt idololatria, opes, fortuna, successus. Sed in Turcam nondum quadrat illud, quod de Nabugdonosore, qui Israëlitas in exilium abduxit, Ieremias propheta cap. 17. scribit, cum inquit: Seruient Nabugdonosori omnes gentes. Disparia duo maximi momenti & ponderis sunt. Monarcha erat Babylonicus rex à Daniele propheta inauguratus. Sic enim is ad Nabugdonosorem ait: Deus in potestate tua omnia posuit. Et ab Ezechiele cap. 26. Nabugdonosor rex omniū regum nominatur. Etsi igitur idololatra fuit: tamen eum honorem illi tribuit Deus, vt monarcha esset, siue catholicus rex in prima & aurea monarchia. Quid contra Turcus? Cornu paruulum vocatur à Daniele

niele Mahometicum regnum, ortum de medio decem cornuum, quibus Rom. imperium adumbratur. Monarchia igitur non est, sed ortum siue decerptum regnum de monarchia quarta. Ac tametsi tria cornua de decem euellit, hoc est, Rom. imperium attriuit, comminuit, afflixit: imperio tamen ipso non potitur. Si verò imperium legitimum, & à Deo ordinatum confirmatumq́, non habet Turca: quid aliud, quàm tyrannis vniuersa eius potentia esse potest? Quamuis enim imperia maxima, Babylonicum, Persicum, Græcum, & Romanum maximis peccatis conflata sint, & creuerint, & propter hæc ipsa peccata de gente in gentem translata sint: tamen regna à Daniele appellantur & approbantur diuinitus. Hæc nota est satis perspicua & illustris, qua discernitur Rom. imperium à Mahometica tyrannide & colluuie, quæ tanquam struma aliqua inde enata mirificè corpus imperij deformat, turpificat & labefactat.

Deinde de Israëlitici regni in Babylonicum

traductione peculiaria & certa extabant prophetarum vaticinia. 2. Reg. 20. disertè inquit Esaias ad Ezechiam: Ecce dies venient, & tolletur, quicquid est in domo tua, & quicquid reposuerunt patres tui vsque ad hunc diem, in Babel. Idem cap. 10. Assur virgam furoris Domini, manum verò eius baculum iræ Dei appellat. Ieremias cap. 25. Quia non audiuistis verba mea, ecce ego mittam & assumam omnes gentes septentrionales, dicit Dominus, & Nebucadnezar regem Babylonis seruum meum, & immittam eum huic terræ, & incolis eius. Et cap. 27. Iam verò tradidi omnes terras istas in manum Nebucadnezaris regis Babylonici, serui mei. In his testimonijs disertè nomina Babylonici regni, & gentis Israëliticæ, adhibitis omnibus circumstantijs, exprimuntur. Solent enim Prophetæ non tantum pœnas & liberationes, sed etiam pœnarum & liberationum diuinarum organa & ministros nominatim designare. At de translatione imperij huius in Turcicum, neque testi-

monium,

monium, neque indicium, neq; vaticinium in scriptis propheticis & apostolicis inuenitur, quo niti poßimus. Quæ enim ab hominibus extra verbum propheticum & apostolicum produntur, vel opiniones sunt, vel coniecturæ, vel diuinationes, vel omina ex rerum, quæ geruntur & fiunt, spectaculis ducta. Sed quid est hominis opinione fallacius? Quid coniectura incertius? Quid auguratione vanius?

Memini, cum Moscus in Liuoniam omni impetu irrueret, & ferro igniq; cuncta loca, quæ incurrebat, vastaret, nonnullos sapientia & doctrina claros, authoritateq; graues in eam opinionem adduci, vt Gogum & Magogum ad Moscum accommodarent, & Mosynecos ex Mesech prodituros in Germaniam putarent. Mouebantur scilicet horribili gentis Moscicæ sæuitia ac crudelitate, quam in Liuonia exercebat, vt à Turca ad Moscum Ezechielis & Ioannis vaticinium de Gogo & Magogo detorquerent. Neq; id temerè prorsus. Quæcunque enim gens Ecclesiam Christi

 affligit,

affligit, angit, populatur, vastat, ea non immeritò Gog & Magog appellatur. Ex quo iudicare non est difficile, nec Turcis id tribui peculiariter posse, vt populum Dei, siue imperium hoc Christianorum vel armis subigant, vel ita in ditionem suam redigant, vt Occidens in Orientem reuertatur, vel orbis Christianus totus ei seruire cogatur.

Nihil itaq; efficiunt, qui ex Iudaicæ gentis exemplo Germanici imperij translationem in Turciam demonstrare conantur. Dissimile enim prorsus est regnum Mahometicum regno Babylonico, in quo sedem monarchiæ primæ collocarat Deus: quemadmodum vltimæ monarchiæ sedem collocauit in Occidentis & septentrionis hoc imperio, quod reliquum esse vult vsque ad illum diem, quo Iesus Christus ad iudicandum viuos & mortuos venturus est. Differt etiam in eo populi Iudaici exilium in Babylonico regno ab impreßionibus Turcicis in hoc imperium, quod illud disertè secundum omnes circumstantias prædictum

erat:

erat: hæ verò incursiones & vastationes, quas Turca in Christianorum fines facit, nullo neque prophetico, neque apostolico verbo aut vaticinio notata sunt. Superest gens Græca, quæ similitudinem aut cognationem maximam cum Germanis habet. Hæc oppressa immanitate & seruitute tristi Turcarum ante oculos iacet: olim verò opibus, honoribus, artibus, & rebus gestis floruit, ac nationibus populisq́; cunctis antecelluit. Ac imminebat quidem ei iam olim infestus ex omni parte Philippus Macedo: sed potiri tamen penitus non poterat. Post eum verò filius Alexander fato totam subigebat Græciam, quo vniuersale imperium orbis constituere posset. Postea autem quam Euangelij luce orbis compleri per apostolorum & successorum præconium cepit, Deus bone, quantus bonorum cœlestium cumulus in hanc gentem collatus est? Per Constantinum denique ipsum etiam imperij decus ex parte quadam eodem importatum est. Quid huic simile Germania non habet? Quod lac lacti, quod

ouum

ouum ouo magis congruit, quàm Græciæ conuenit nostra Germania? Num quem ergo alium euentum nobis polliceri possumus, quàm Græci miseri tot annis experti sunt, & cum gemitibus multis adhuc experiuntur? Dißidia equidem horrenda in Ecclesia & politia eadem nunc sunt inter nos, quæ olim erant in Græcia. Eædem etiam sunt insidiæ, irruptionesq́ Turcorum in imperium hoc, quæ fuerunt eorundem Turcorum in Græciam ante occupatum imperium Orientis, & captam Constantinopolin. Quemadmodum igitur tunc affligere, comminuere, dißipare Græciam non prius destitit Turca, quàm in potestatem suam penitus redegit: ita nec hoc tempore Germaniam diripere, vexareq́ desinit, donec eam fregerit, compresserit, & edomuerit.

Sed respondeo: dißimilis erat omnino Græciæ status ante monarchiam Alexandri, quia tunc fato inclinabat Oriens ad monarchiam. Quod de Germania neq́ dici, neq́ sentiri rectè potest. Ante occupatum verò à Turca Orientis

entis imperium, tempus venerat, quo tria cornua secundum Danielis vaticinium, de decem bestiæ quartæ cornibus euellere debebat Mahometus, & partem bonam à corpore imperij abstrahere. Id quod factum est tum, cum Ægyptum, Syriam, Græciam sub imperium suum subiunxit. Sed propterea tamen imperium Orientis legitimum aut ordinatum à Deo nequaquam constituit, multo minus monarchiam comparauit in Oriente. Et cum ante Græca gens principatum siue monarchiam tenuerit, & fato tandem amiserit: fieri sane per prophetæ Danielis vaticinium haud potest, vt denuo in Græciam aut Asiam monarchia siue imperium summum reuertatur. Relinquitur ergo, ne nunc quidem imperium hoc, quodcunque & quantumcunque est reliquum, in Asiam siue in Orientem rediturum esse: quod neque monarchiarum à Daniele prædictarum series id patiatur: neq; rationi vlli consentaneum sit, vt vnde semel migrauit hoc regni fastigium, eodem post liminio redeat.

Hæ, inuictissime Cæsar, rationes sunt, quæ me, postquam ad veritatem reuocare cogitationem cœpi, mouent, vt Lactantio nondum assentiar, reuersionem imperij Occidentis in Orientem, nescio qua animi diuinatione prædicenti. Grassatur quidem Turca, omnemq́; regni sui conatum in perniciem huius imperij conuertit ac meditatur, nec obscurè etiam imperium ipsum diminuitur, labefactatur, fatiscit, & ruinam penè omni ex parte minatur: sed mirum nihil & alienum à prophetico vaticinio. Desinet enim imperium hoc, quod bestia quarta Danielis depingit, in pedibus luteis. Naturale autem est, vt à summo res quæq; incipiat, & in imo desinat: nec facilè à calce ad caput quicquam regreditur. Itaq; nec imperium hoc vltimum ad medium redibit, quod nihil aliud esset, quàm à pedibus per tibias ad lumbos, ventrem aut pectus reuerti. Hic ordo, hæc series, hic processus monarchiarum est à Deo ipso institutus, vt à capite aureo ad pectus argenteum, à pectore argenteo ad ventrem æneum, à

um, à

um, à ventre æneo ad tibias ac pedes partim ferreos, partim luteos descenderet: non contra à pedibus ad tibias, ventrem, pectus, aut caput ascenderet. Quid est verò reditus imperij Occidentis in Asiam, nisi à pedibus statuæ Danielis ad ventrem vel ad pectus illius ascensus? Equidem vt fieri per naturam non potest, vt lutum in ferrum, aut æs in argentum, aut argentum in aurum vertatur: Sic nec per Danielis vaticinium fieri potest, vt imperium hoc vltimum ad tertium, secundum, aut primum reducatur.

Id multo certius est, mansura huius imperij rudera atq; vestigia, licet vis tempestatum magna, & moles calamitatum ingens illud obruat, vsque ad finem mundi: vt veniens ad iudicium filius Dei ordinatam à se politiam, quamuis squalore deformatam ac propè deletam reperiat, Ecclesiamq; inde eductam ad se in cœlestem consuetudinem recipiat. Interim, inuictissime imperator, sæuiet mare, ingruet ventus, offeretur formidolosissimi temporis

 tempe-

tempestas, exardescent bella, audientur tumultus, iactabuntur minæ, intendentur pericula, crescet metus, omnia deniq; misceri sursum ac deorsum videbuntur. Sed animo bono simus; nihil accidere in his tantis fluctibus atq; procellis poterit, quod non sit prædictum à Daniele, & ipso etiam seruatore nostro. Nec fert natura luti aliam aut meliorem conditionem, quàm hanc ipsam fragilem, ærumnosam, & plenam molestißimis laboribus atq; angoribus. Consoletur verò nos præter alia id etiam, quòd luti natura durabilis non est. Itaq; futurum breui sciamus, vt luteum hoc imperium non minus quàm aureum, argenteum & æneum finem habeat, & ad liberandum nos seruator noster Iesus Christus veniat. Idq; eò magis, quò lutum metallis est infirmius & fragilius. Interim his quibuscunq; reliquijs imperij Romani, quibus tu, inuictißime Imperator, praes, lætamur: & dum te Cæsarem Romanum habemus, imperium ipsum nos habere arbitramur, quamuis miserum & afflictum.

Vnum

Vnum illud restat, vt quo maiores turbæ existunt, fragores grauiores audiuntur, vehementius grassatur Turca, & magis vndique in nos redundant mala, eo propius adesse liberatorem nostrum Iesum Christum statuamus: vt nos ex his angustijs, in quas adducti sumus, eripiat, & in regnum sempiternum atque beatum traducat. Quod vt quamprimum fiat, votis ab eo aßiduis atq; ardentibus petere non desistemus, nosq; identidem erectis in cælum oculis, ad excipiendum cum plausu seruatorem nostrum in nubibus venientem parabimus. Duo sunt, inquit quidam magnus Theologus, quæ frangere atq; debilitare Turcam possunt, Christianus & Cæsar: Christianus quidem pietate & precibus in vera fide Iesu Christi ad Deum conceptis, Cæsar verò animi magnitudine atq; fortitudine pro aris ac focis propugnans. Vtriusque præsidij tu, post Deum immortalem, caput es, inuictißime Imperator. Nam & cœtus Christiani firmamentum es, ac bellicæ virtutis in hoc imperio dux & moderator. In tua igi-

tur tutela atque patrocinio latitantes precari successum à DEO felicem & salutarem dies ac noctes constanter perseuerabimus. Vtinam verò sint multi, qui interponant se quasi murum, & stent in ruptura coram Deo pro patria, ne perdatur.

FINIS.